...ristophorus

Episc. Varmiensis

Brunsbergensis Collegii Soc. Iesu Flos
rosarum in diebus vernis.

FLOS ROSARUM
IN DIEBUS VERNIS [a]
Virtutum odore, meritorum vigore,
Honorum purpurâ
EMINENTISSIMUS
VARMIACIS TERRIS
PERPETUUM FLORIDÆ FELICITATIS VER PORTENDENS:
Seu
CELSISSIMUS S. R. I.
PRINCEPS
ILLUSTRISSIMUS AC REVERENDISSIMUS DOMINUS
D. CHRISTOPHORUS
IN SŁUPOW
SZEMBEK
DEI & APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA
EPISCOPUS
Varmiensis & Sambiensis,
TERRARUM PRUSSIÆ PRÆSES
In Avitis Rosis
Sub fortunatissimum EPISCOPATUS Sui,
à Chełmensi & Premisliensi Insulis ascensum
PANEGYRICO CULTU
SALUTATUS
à
COLLEGIO BRUNSBERGENSI SOCIETATIS JESU
Anno
Ab exorto in Ver Salutis flore de radice Jesse. 1724.

a *Eccli 50. 8.*

In Avitum Stemma
CELSISSIMI PRINCIPIS.



Lechica jam trino benè ſiſtent ordine Regna,
Fulciat hæc, trinæ floridus ordo Roſæ.
Tres ſunt, tot Parmæ Regni, tot gentis honores,
Nobilis his tegitur, Rex populusq; Roſis.

AD CELSISSIMVM, ILLVSTRISSIMVM AC REVERENDISSIMVM
PRINCIPEM.

SUmmis obligata Pontificibus minima Societas JESU, etiam Tibi eò promptiùs, quæ hactenus in imis cordium fovebat, persolvit vota, quò Majorem à virtutibus, meritis, & Honoribus suspicit Pontificem. CELSISSIME PRINCEPS. Accedere quidem Tuam vereremur Majestatem expallescente ad Gloriam Eloquentia, sed meticulosam Avitæ Rosæ expungunt tenuitatem, iis duntaxat obarmatæ spinis, quæ Oratorum acuunt ingenia, exasperatæ in Religionem perfidiæ conjuratos reprimunt aculeos. Non minus Nostra pupugerunt pectora, at sine vulnere, hoc tantummodò fine, ut candidi animi palàm formaremus argumentum, si ad Trabeati Honoris purpuram erubescere permitteremur. Verùm fortunatos! qui jam favente polo eum adoramus PRINCIPEM, cujus nescit

marcescere virtus, merita ignorant diminutionem, Honor decrementa. Eam videlicet PRINCEPS CELSISSIME in Te Varmia recolit Majestatem, ad cujus conspectum florida meritò affulsisse sibi sæcula gaudeat, Ver perennaturæ felicitatis vel rigidiores ad soles gestiat reaccendi. Non est, cur id posthumæ in censuram vocent ætates, quandoquidem tergemina Celsissimi Prædecessoris Tui benedicta CRUCE in eam redundat fertilitatem, ut, ubi ROSAS amodò profert, in Varmiæ Climate Insulam floridam Septemtrio admiretur. Veruntamen dabis indulgentiam ANTISTES ILLUSTRISSIME, si, ubi florentissimas Rosis attingit facundia Ceras, non debitâ nectar loquatur methodô, aut suis se animadvertat compungi spinis. Eam enim CELSISSIME PRINCEPS suggeris laudum materiem, quæ vel ad Cleanthis lucernam impallescentium, Maximorum ingenia fatiget Oratorum, omnem fandi, magnitudine sui supprimat potestatem. Ergoné Harpocratico parendum simulacro? grande profectò id foret nefas, ubi floridum reanimant ROSÆ stylum, & ipsum in earum Ternione Cor respirat tricolle in Virtutum, meritorum, Honorum, coronamentum. Quanquam nec id in Coronam destinari ambires, nisi dicatum ab ipso Numine coronariis apicibus Caput inquilinæ ambirent

virtu-

virtutes, ut omnibus coronatus appareres, antequam pretioſo concertantium de Tuis bene geſtis ſtamine nectendas aſſumeres Coronas. Non ſatis nempe Pontificium redimirent Rosæ verticem, niſi tot jure vindicaret ſibi Cydares, quot Patriæ, & ſub incude malorum ingemiſcentis Religionis coronat deſideria. Talem Te pridem conſona ſatis fama in Varmiacas detulit oras, ut non immeritò prius Cordium ſubieris penetralia, Vniverſorũ illic Amoribus coronatus, quàm Varmienſi adornareris Tiara, expectantium pupillas in proaviti Florilegii obtutum ſtimulares. Et jam, quod anhelis præſtolabantur Vniverſi Votis, eò gratius ſe poſſediſſe lætantur, quò inſperatiùs miteſcunt auræ, Veris renidet amœnitas, dum nativo nitentes decore, purpureæ in Varmia effloreſcunt Roſæ. Procul hinc Hyperbole! procul fucatæ conteſtationis argumenta! ubi in Hyperboreo ſolo Reginalis Rosarum Majeſtas ſtabile figit ſolium, Varmiam Florum nonniſi feracem ſub Principe Roſarum Flore inauguratura. Eas hîc ſpectamus Rosas, quas in Illuſtriſſimis Anteceſſoribus Tuis pro aris focisq; fuſus purpuravit cruor, in Sago & Toga invictiſſima rigavit manus, Tu ſocias purpurati Honoris in immarceſcibili virtutum Roſeto conſervas & tueris. Et ſic ampliùs ſilentij teſſera non ſunt Rosæ, prius-

quam enim Regio AUGUSTI ore, Principumq; ſuffragio, Vaticano orbis Capiti vel in novam deferebantur coronam, jam in Acie Campi Floræ eum ſpargebant odorem, ad quem attonita hæſit Roma, & Amore fidei promovendæ impulſa, Principibus dignas Tiaris adjudicavit. Non vocalis iſtud fuit famæ opus, cùm ſæpè fallibilis ſit præco, ſed Roſeus Virtutum odor, quæ dum præeunt, imperijs illarum fama cogitur ancillari. Sed Tuas CELSISSIME PRINCEPS in compendioſum redigere argumentum Virtutes, opus potiùs laborq; Divûm eſt; Nos fatiſcente penna ad Meritorum Tuorum encomia, in reciprocas vices animamus corda, ut, quem publicos inter geſtientium animorum applauſus FLOREM ROSARUM Ver æternaturæ proſperitatis portendentem Varmiæ veneramur, eundem Religioſis proſequamur Votis. Florida ergo in Avitis ROSIS age ſæcula, ſerò ad libitinæ falcem Tuæ expalleſcant ROSÆ, purpura Cælis accepta in ſeros purpuratum Patriæ Civem exornet Annos. Ipſi demum Superi Orthodoxæ Religionis columen, firmiſſimam Patriæ baſim, Nobis Præſulem optatiſſimum, qui foveas, protegas, Paſtorali complectaris ſinu Minimam Societatem JESV, quàm diutiſſimè conſervent incolumem.

Ita precatur

Devotiſſimum Nomini & Honori Tuo Collegium Brunsbergenſe Soc: JESU.

PANEGYRIS.

FOrtunato progredere paſſu, ſcande mancipatam Honori Tuo Cathedram; quæ militat Tibi, Gloria ſternit iter. PRINCEPS CELSISSIME. Gloria ſternit iter, Flos odorq; Divûm, hominum voluptas, decus Gratiarum, plùs quàm Pæſtani Gloria Campi ROSÆ, ut multorum Principum ac Regum prætergreſſùs Majeſtatem, ſub quorum inceſſu commune florum vulgus, in vitæ ceſſit ſpolium; Tu floridus totus, non impari ad Honorum apices proveharis tramite, & ubi in ſumma conſtiteris auge inter adverſas aut diverſas temporum revolutiones, vernos ſuccendas Soles, radio quorum operatore in terris ROSÆ perennent. Quanquàm minùs obligatas Terræ dixerim, niſi, quòd ſuam hîc tantiſper fixerint ſtationem, cùm illuc innato contendant conatu, unde traxêre Originem. Et ſic fateri cogimur, citra ſuperſtitioſæ Antiqui-

tatis commenta, ROSAS ab æthere in Terram prolapſas, cùm SZEMBEKIANÆ nihil ſpirent humani, niſi quod intemeratam commendet humanitatem. De cætero quidquid continent, aſtra ſibi vindicant, jureq; ROSARUM VESTRARUM communi penitùs gaudere volunt.

Sideris & floris forſan & unus odor
Unus & eſt murex. - - Auſonius.

Intentam curioſiùs oculorum aciem hebetant cæli luminaria, temerarium ſpinæ ROSARUM penſant attactum, nec nonniſi in eo diſcrepant, quòd illa incircumſpectum lachrymis plectant auſum, iſtæ pertinaces avidarum carpendi manuum impetus, aculeato retundant ictu, & contractam effuſo cruore dedoceant temeritatem. Tanta videlicet Reginali ROSARUM Majeſtati natura Tutatrix providit præſidia, ut ubi crimen læſæ Majeſtatis impugnator perpetraverit, ediſcat ſeſe proprijs expugnandum armis & ſatellitibus. Enim verò nemo dixerit nocivos, præterquam, qui nocendi intemperato ſuccenſi æſtu, inſuetas in furorem exerunt vires. Nequè tamen ſic Sontium, Spinæ ROSARUM compungere noverunt corda, ut ſuis expungerent ſedibus, niſi, qui ex fragranti Odore Clementiam auſpicari ignoraverit, aut recuſaverit. Nullus profecto tam infortunatum ſe deploraverit Calypſum aut Poliphemum, quin ad æquiſſimam ROSINORUM con-

consistens Themidem, si-tum hîc suum prospexisset Areopagum, in Rosis comperisset subsidium, à triplicato SZEMBEKIORUM Gentilitio Roseto omnem arguisset perfectionem. Et hinc inquit Vates:

Si ploret casus suppressa dolore pupilla
Felix! si quærat plena Roseta Rosis. Thucydides.
Felices populos! quibus hæc nascuntur in hortis
Numina.

Varmiacus hæc audijt Septemtrio, & non solo duntaxat vere prodire publicum in obtutum stupuit Rosas, aut Syrios inter oriri ardores, aut tepente animatas Favonio Pæstanis florere in Arvis, verùm sub frigida Arcto, uti in nova Antiperistasi, ita in novo animadvertit maturescere miraculo, ad cujus magnitudinem attonita hæret Principum Florentia Polonia, admiratrix Varmia consternatur. Ea nimirum vel jam algentis mansuetudo cæli, officiosâ planè in terras humanitas, ut sub reducente sese in Hyberna Jove, induratam Elementorum solvat libertatem, & mille amœnitatum præsentet Theatra, ubi Princeps Celsissime quasi Flos Rosarum in diebus Vernis in Varmiacis effloruisti terris. Attende Spectator Orbis? ad insolitam Rosarum pulchritudinem, depressam erige pupillam, & ubi candente ad Boreæ rigores solo, Rosis folia adornari adverteris, Thaumaturgam, quæ admirandum istud est operata decus, providentiæ Divinæ exoscula-

re dextram, Superûm adora favorem.

Nitido patefecit ab ortu
Purpureas aurora fores, & plena Rosarum
Atria - -

Attolle Varmia verticem! mœroris depone peplum! habet, in quo spatietur Agnus FLORILEGIUM. Et jam novam induit faciem ad CELSITUDINIS TUÆ conspectum; ardent affectus, æstuant animi, micant spes, scintillant fortunæ; domestici inclarescunt Penates, afflicta miserorum eriguntur solatia, sacræ Basilicarum Aræ insueto virent florentq; apparatu, verbo, festivam celebrat Epiphaniam, ubi Romam in Flore æmulatur, quam ingeniosus prodigiorum adinventor talem adumbravit Amor, qualis hucusq; sollicitis Vniversorum desiderijs optatissimum à Jove Hospitem & Inquilinum non dedeceret. Decebat profectò gratas Superis, Tibiq; rependere vices, qui, ut eò fortunatiùs Varmiaco in solo novæ jaceres fundamenta Florentiæ, quò ferventiùs Trino ROSARUM distincta ordine optabamus, in Tergeminis Tuis pensilia Semiramidis evacuâsti viridaria, purpureo arridentia vultu Hesperidum spoliâsti Roseta, universas Hortensij congessisti ROSAS, feracem Florum Reginæ ROSÆ pedissequum ancillari voluisti Paradisum. Fuerit olim Rhodijs ROSA eò certiùs æternaturæ felicitatis præsagium, & fundamentum, quò insperatiore

casu

caſu reperta; quaſi adſcititij floris decus Patriæ conſervet famam, & non facilè cuiq; terendum gloriæ ſternat iter: Tu PRÆSUL exoptatiſſime putatitiam RHODIORUM in veriorem commutâſti Fortunam, ubi non jam ferentibus ſuffragium fatis Reginæ florum ROSÆ erexiſti Thronum, ſed potiùs Virtutum, meritorumq; comparâſti ſubſidio, ut poſteræ diſcerent ætates, Tyrijs quidem paludamentis colorem, Majeſtati decorem eſſe à ROSIS, verùm ſine meritorum vigore iſta non poſſe perennare. Extra hanc fortunæ aleam Proavitæ Tuæ ſunt ROSÆ, quæ jam in ILLUSTRISSIMIS ANTECESSORIBUS Tuis Divinas Platonis ætates, Neſtorea ſæcula ſuperârunt, in Te verò eorum immortalitatis hærede perennabunt. Et ſic nihil floridi, nihil ſummi, nihil grati in tam grandi Virtutum Tuarum argumento ad PRÆSULEAS litaremus Aras, niſi eum deferremus Florem, qui æviternis viret Honoribus, Oculos Superûm, hominumq; delectat. Nam:

Roſa præbet honores
Cœlitibus, Templisq́; Sabæum miſcet odorem.

Proprijs ergo ornatus decoribus, obligata Virtutibus conſcende Honorum faſtigia, quidquid demum calcaveris fiat ROSA. Quanquam jam ridet veterum orbis memor, Lydiæ Regis miraculum, qui *Pulchro cùm verteret omnia tactu*, vel Niobes deplorandum lachrymis Protheum

 ſucce-

ſuccedaneis dedit ſæculis, ubi Tu fortunatior Neomidas, quidquid agis, vel dicis, floridum nonniſi expetas fieri ac efficias. Imò nec Avita ſatis te exornarent Stemmata, ni Flos ipſe Rosarum vireſceres in æternitatem, quam Illustrissimi Antecessores Tui victoriis & triumphis conſignârunt, Tu in Regia Augusti II. Majeſtate coronâſti, eò duntaxat diſcrimine, quòd Supremum illud Caput Cordi Europæ præſit Sarmatiæ, Tua ſit in corda poteſtas. Habent enim hoc Rosæ Szembekianæ, ut, cùm ſint Flos, laborq; Divûm, non ſolùm humanas in ſui odorem alliciant voluntates, verùm etiam cunctorum in ſui admirationem ſtimulent animos, æternent in memoria ſingulorum. Quandoquidem:

Florida nunc prout eſt, ſic Roſa ſemper erit. Heſſus.

Dum itaq; penitiore mentis intuitu retrogradas temporum ſpectamus revolutiones, quibus Szembekiorum vernabat Gloria, floridæ Majum revehebant, ſiſtebantq; virtutes, integerrima rectefacta diminutas reſpuebant æſtates, Rosæ ſæculorum pondus ſunt, quod ſola ad perennis Aſtrææ bilancem ponderet æternitas. Non protunc primùm coævæ fuerunt Illustrissimis Honoriis Rosæ, quando Lechico implantatæ Hymetto æqualitatem temporum vel folijs diſtingvebant; pluribus quàm novem ſæculorum decadibus diſtinctæ in Pro-

avito florebant ROSETO, antequam in Septemtrionalem delatæ cum ROSINIS Lechiam in virentiſſimis Honorum germinâſſent viridarijs. Magnus ergo Romanis imperabat Carolus, quando primam ROSETUM SZEMBEKIANUM protulit plantam, imperatorijs delicijs & ſummis jam tunc deſtinatam Honoribus; non vanum Illuſtriſſimæ poſteritati auſpicium ad Magna eluctaturæ, & ad ſumma Honorum culmina evehendæ. Nominis & Triumphorum amplitudine feliciter præluſit Magnitudini Veſtræ, Proſapiæ Illuſtriſſimæ Caput, GERLACVS à SCHÖNBEGK, qui ipſis MAJORIBUS Major, Laureatus in Sago Heros, ad cujus acinacem alliſis cornibus non ſemel Othomannica Eclypſim patiebatur Luna, non ſatis à Capite Orbis Roma Victorum faſtis inſcriberetur, niſi purpuratas proprio cruore ROSAS imperatorio fovendas ſinu Carolus approbaret, cùm non ſolus Macedonum Regnator pacatè indormiêrit Homeri Iliadi, verùm etiam hic maximus inter Gradivos Gradivus, Romanorum Caput nunquam ſecuriùs indulſerit ſomno, quàm clypeo GERLACI innixus. Aſſurge mortualibus de cineribus! conſcende Roſtra Oratorum Princeps! & ſi quid Romanâ vales Eloquentiâ, immortalem inviciſſimi Herois Gloriam, ſeræ commenda Poſteritati. Verùm

ipſe

ipſe in principio dicendi exalbeſceret Tullius, atq; totis contremiſceret artubus; noſter in exarandis encomijs hebetatur ſtylus, labat penna, conticeſcit Eloquentia, victæ concidunt manus, & præreptas adverſo Gradivo palmas cedunt primo Aboriginum Tuorum trophæis lubentes, cùm ipſi ORIENS ac OCCIDENS venerabundi ſeſe acclinent, in quibus nulla tam altas egit radices laurus, quam infracto animi robore hoſtili non præriperet potentiæ, fatales implantaret Taxos, & Cupreſſos funeſtaret. Intuere PRINCEPS CELSISSIME amæniſſimum Romani Imperij ſpectaculum ceu veriùs miraculum, ILLUSTRISSIMÆ SZEMBEKIORUM Familiæ caput, quod pridem totus ſpectavit orbis & adoravit. Perſpicaciùs Archimede, ſagaciùs Philone tam alta jecit fundamenta DOMUS Avitæ, ut nullæ adverſitatum procellæ, nulli ſævientium tempeſtatum fluctus, aut furibunda debacchatus ab Arcto quiſpiam Hæreſeon Boreas eam hucuſq; impugnare auderet, cùm non in arena facilè diſſipanda, ſed in firmiſſima Orthodoxæ Religionis petra cernat ædificatam.

Fortes creantur Fortibus & bonis
Nec imbellem feroces
Progenerant Aquilæ columbam.

Si Tuum ANTISTES ILLUSTRISSIME ardentiſſimum ſuſtinendæ Religionis zelum, Amorem

rem Patriæ, irremiſſas Eccleſiarum curas, Virtutum immenſitatem, ad veriorem perpendamus trutinam. Absq; aſſentationis itaq; crimine tantæ GERLACI, ſi non Superiorem, certè parem gloriæ profitemur, &, qui partito ſanguinis ſplendore præluceas Patriæ, foveas Cives, illuſtres ſenatum, ſerenes Univerſos, pro Caſtore ſucceſſiſſe Pollucem. Diſparuêre quidem cæteri ILLUSTRISSIMI Aborigines Tui, ſed ex hac mortalitate meliore Virtutum Apotheoſi ad immortalitatem translati gloriæ ſplendorem in Poſteros transfundunt. Eum maturè auxit communibus Major fatis HENRICVS de SCHÖNBEGK, qui Imperatorijs alter Achilles ea Nominis ſui laude militabat Aquilis, ut in HENRICO VII Auguſto Romanorum Cæſare immortalibus factis & famâ Univerſorum cordibus imperaret. Profectò cognatum ſimileq; Majeſtati Cæſareæ commutâſſet Nomen, niſi rerum bellicarum cumprimis gerendarum felicitate adæquâſſet. Ita nimirum Stirps floridiſſima in ſui ſæculi Hercule in triumphales adoleſcebat adoreas, ut ad purpuraſcentes martio ſangvine ROSAS fatali Diadematis caſu Galliarum lilia non modò erubuerint, verùm quoq; expalluerint.

Produxit Roſeos victoria flores. Tibullus.

FRIDERICUM & PETRUM à SCHÖNBEGK, quos Ro-

manum condigno non proſequeretur cultu Imperium, niſi ipſæ Cæſareæ in Carolo IV, Maximiliano I. venerarentur alites. Parentâſſent illæ procul dubio fatales inter Imperij nænias, niſi PETRI ſubſidio ad omnia intrepidi pericula Herois ingemiſcens intra petrarum Labyrinthos Maximilianus velut Theſeus Ariadnes filo, eductus ac penè emortuæ reſtitutus vitæ fuiſſet. Aſſertorem libertatis ſuæ quo impoſterùm complectebatur amore, teſtantur Annales Germaniæ, manifeſtavit pridem gratioſiſſimus Monarcha, cùm PETRUM dimidium cordis ſui, pretioſiorem cæteris in Corona adamantem vocitaret. Sed ne hîc ad terminales Gloriæ SZEMBEKIORUM Gades offendat penna, perennibus inſculpendæ Cedris BARTHOLOMÆI à SCHÖNBEGK confluunt ſponte dotes, quibus vim ineſſe magneticam dicerem ad attrahenda in ſui admirationem Principum corda. Magnarum mentium robur eſt iſtud, ut, cùm nihil humile ſpirent, ſupremas ſibi devinciant Majeſtates. Et ſic ubi primùm ſuſpexit Virtutes Bartholomæi Sigiſmundus Auguſtus, illicò adamavit, novum gloriæ ſuæ incrementũ Polonia deſideravit, ut nimirum floridam SZEMBEKIORUM imitata Domum, in Florem virentiſſimæ felicitatis pullularet.

Nec

Nec dentati temporis ictus tantas Lechiæ ſpes præcidit, quas illa demum in HIERONYMO, ALEXANDRO, CHRISTOPHORO, CAROLO SZEMBEKIJS eſſet coronatura. Imò ipſa nunquam fortunatiùs ſuo ſe vidit condecorari Diademate, quàm dum CAROLUS in Catilinario Coſacorum conflictu geminis orbatus oculis, cæcæ Fortunæ deluſit ictum, & oculos ceu gemmas Coronæ Regni conſignavit. Inſolentioris vulgi turbines, lumina invictiſſimi HEROIS, ceu bina in Polono Polo luminaria obſcurârunt quidem, ſed ne ſplendorem Gloriæ autumarent ſe obumbrâſſe, ad eum triumphabunda Sarmatiæ Aquila reflexit pupillam, eò alacriùs, quò glorioſiùs ILLE in adverſum oculos detorquebat Martem, ne cæco Andabatarum more pugnare videretur. Non minora CHRISTOPHORUS retulit de hoſtibꝰ Trophæa, cùm ferali ſuccumbere ictui non recuſavit, ut langveſcens ſub pondere malorum gratiſſima Patria, in meliorem aſſurgeret felicitatem, & reſpiraret. Reſpiravit vel illo animata ſpiritu, quem glorioſiſſimus effudit hicce Camillus: NOVÂ erubuerunt ROSÆ amictæ purpurâ, cùm proprio Bellonæ campum rigavit cruore, ne pariter ROSIS etiam inde deeſſent palmeta. HIERONYMUS & ALEXANDER duo fulmina Scipiadum, quò atrocioribus Moldavia æſtu-

abat belli ardoribus, eò incendebantur magis, ut rebelle Cosatici furoris in Rempublicam scelus, aliàs Acheronticis expiandum ignibus, exurerent, Caroli Sudermanniæ Ducis in Livonia dissiparent tumultus, Sveticum sub Joanne Casimiro sævè rugientem prosternerent Leonem, Aquilam fulmine feriri non posse orbi decantatam exhiberent fabulam in Moschovitica ad Smolenscum Alite non semel à præda fulminante repressa acinace. Tam immanes & plus quàm decumanæ bellorum tempestates frustra imperterritos jactabant Heroum animos, & licet destinata cuiq; tumulârint fata, ipsis tamen de tumulis gratissimum spargunt odorem, nec in Patriæ memoria hæ marcescunt ROSÆ:

Servant senectæ odorem. Anacreon.

Admiratione suspensi spectare mallemus, & obsequioso prosequi cultu tantorum Nominum ceu Numinum Majestatem, nisi vel fatiscentem exstimularent calamum, in Sigismundo III & Vladislao IV Supremis Lechiæ Honorijs perennaturi GABRIEL & STANISLAUS SZEMBEKIJ, quorum consilijs, prudentiâ, rerum gerendarum activitate æquè inter bellorum incommoda ac pacis emolumenta tutò degebant Regiæ Majestates, & quidquid secretissimas deposcebat aures, non aliter patefa-

tefactum in eorum transfundebant corda, nisi & ipsi in pectore ceu in amænissimo conclavi residerent. In tam sublimi Gratiarum & Honorum culmine humanissimi, in humanitatis legem hoc peccârunt solo, quòd afflictorum solatijs, indigentium liberalitate, consulentium directione humanum diem ejusq; judicia excesserint. Fortunæ nihil debuerunt, quia eam in alijs extulerunt, gloriam auxerunt, dum in se contempserunt. Prout pari Virtutum impendio ad Regiam, ad Augustale Honorum, ad Thronum meruit accessum ILLUSTRISSIMUS FRANCISCUS in SŁUPOW SZEMBEK CASTELLANUS CAMENECENSIS PROGENITOR TUUS, ita vel ipso mortuali de marmore eo gloriæ splendore orbem reaccendit Sarmaticum, ad quem exiguum Panegyricæ Orationis lumen, in occasum declinet, ni velit Icari luere temeritatem. Ea nempe cumulavit merita, ut,

Si floribus vellet - Jupiter imponere Regnum,
Excelleret Rosa flori, Rosa Cælitum voluptas. Anacreon.

ROSEUS etiamnum obsequentissimæ Patriæ proclamatur ore, qui eam è fatali busto miro ROSARUM recreat odore, ne tot oppressa malis langvida succumbat. Et licet una in eo expalluerit ROSA ad falcem Libitinæ, in hoc nihilominus delusit fatorum ludibria, quòd plurimas ut nativo candore præditas, sic ad

purpuram natas Lechiæ transſcripſerit ROSAS. Primaria obtingit in argumentum, CELSISSIMUS REGNI PRIMAS PRIMUSQUE PRINCEPS, à quo uno tantum Sarmatiæ acceſſit Ornamenti, ut poſteritati ſecuturæ memori illum ſtylo inſcripſerit immortalem. Stetit Polonia! nec in caſſum Fortunam ab Ortu & Occaſu etiam Pharſalica ſciſſa acie metiebatur, ſed STANTE LAUDE ſuccollata, conſilio, ingenio, fide STANISLAI circumſcripta:

Non generant ſimilem Pæſtana Roſaria florem.

Sed dabis PRINCEPS CELSISSIME veniam, quòd ſingula ILLUSTRISSIMÆ PROSAPIÆ TUÆ monumenta non evolvamus, tum ne alienis virtutum coloribꝰ Tuã profani Oratores videamur adumbrare Majeſtatem, tum, ne Tuorũ ſplendorem Natalium per tot Annorum luſtra jam in auge conſiſtentem, nunc primùm exilis ſvada in lucem attentet educere. Ita tamen præterimus cæteras avito in ROSETO vernantiſſimas ROSAS, ut omnes & ſingulas eloquente proſequamur affectu, Religioſis coronemꝰ amoribus, ubi minùs diſertè lingva perorat. Quanquàm in Te uno ILLUSTRISSIMOS eloquimur ROSINOS, qui Univerſorum complecteris merita, ac Auguſtiſſimo pectore velut concha gemmas circumambis Virtutes, ut facilè cunctos in Pontificijs Tiaris pretiô ſuperent

ada-

adamantes. Tenerum adhuc Lucina animabat pectus, & jam eos ſpirabat virtutum igniculos, qui ſummum Honoris eſſent accenſuri meridiem. Magis ſpes de Te conceptas cumulâſti, quando maturam Honoribus Roſeam in flore ætatem non tam Palladis munivisti Ægide, quàm illo potiùs circumdediſti ſcuto, quod nuncupatur Timor Domini, ut irremiſſi animi Stadiodromus vel inoffenſo pede ſtadium decurreres literarium. Sic de Apollinea decertâſti lauro, ut ubi primò bicollem conſcenderes Parnaſſum, in illius altero culmine Muſas, altero omnes collocares virtutes. Caſtalios eâ ſolertiâ prælibâſti latices, ut Narciſſus alter, nihil citiùs in lympido fontium ſpeculo, quàm tenerrimam exprimeres modeſtiam. Hanc quanto Superi recompenſarent favore, luculentô patuit teſtimoniô, cùm deſerto Pindo Tuam incolere memoriam Apollo crederetur. Oratorem egiſti, ſed, cùm Demoſthenem excelleres Eloquentiâ, magis pro Domo beatæ æternitatis, quàm illa, cujus vanitas in vili arena ſolet jacere fundamenta. Ad Logicas non exhorruiſti ſpinas, aſſvetus utpote hujuſmodi acumina ſine detrimento in Avitis Rosis Genio & Ingenio attrectare. Adæquâſti Ariſtotelis Stagyritæ ſapientiam, imò ſubtilitate in-

genij ſuperâſti, quando tam diſertè de Ente entium diſſeruiſti, ut non meminerit ſeſe taliter Majeſtas Polona locutam. Nec ſeptenis fluentem ac refluentem vadis Euripum poteras non comprehendere, quem ſeptiformis Gratiæ largitor Spiritus cæleſti erudiebat Magiſterio. Aſſurge Aquilo Rhodopes à vertice præceps! Riphæo mare Theologicum conſtringe gelu! ne ſcientijs onuſta pergat ratis PRINCIPIS CELSISSIMI; verùm feliciter navigat, quem aſpirantes de cælo Etheſiæ, arridentes propellunt Favonij, cui, inquam, in mente, in oculis maris ſtella, Divinior Cynoſura MARIA. Et ſic Thaumaturgus ſæculi Noſtri Portunus ad optatiſſimum non potuiſti non appellere portum, cùm corde & animo in Gratiarum Mari fluctuares pacatiſſimè. Jam modò invidum exere livor dentem! eo, ſi manu nequis, carpe ROSAS! ſed reum ſacrilegij condemnabit Orbis, cùm inter ROSAS floreat vireatq, ROSA MYSTICA. Eâ Tibi ſuo ſuffragante ROSINO, ſacratioris ſcientiæ adeò penetrâſti arcana, ut, quam pretioſis virtutum condecorâſti Unionibus, ipſe gemmâ Doctorum inſignireris & eſſes. Talis videlicet in Olomucenſis Academi effulſiſti umbris, ut, ubi veriore Phænicenſium cultu majus adorabaris Poloni Poli luminare, ipſe Tibi dilectus

ctus ut plurimùm Profeſſor ſanctiore ſuccenſus Entheo eruperit in Vaticinium, Te ſuam, Minimæq; Societatis JESU fore Coronam, ubi primùm Pontificiâ, tunc Principe Cydari Virtus emeritum cingeret verticem. Tertium, quod Divina deſtinavit Providentia, devinctiſſimorum Tibi animorum candor ſub ROSA condit, ſed ſuccedanea admirabitur poſteritas, eò attonita magis, quò faventior ſemel iterumq; jam reſpondit Polus augurio. Felix! & ſupra humanam graditur ſortem! qui ſic maturum Gloriæ curſum vel in Palladia inchoat arena, ut laureata ſapientia, Infulas nonniſi acceleret, repugnantes utut modeſtiæ excubiæ ab Auguſtæ frontis faſtigio ornamentum excludere videantur. Sed quò ſubmiſſiùs FLOS in VALLE PRINCEPS CELSISSIME, ſupremos recusâſti Colles, eò perſpicaciorem egit Argum, favor Principum, in tuas juremerito oculatus Virtutes, quando in CHELMENSI Infula unum non aliter Tibi contulit Honorem, niſi alios eſſet pariturus. Beneplacitam Numini Virtutem una non ſatis coronat Cydaris, unus non exæquat Honor, quando adſtipulante zelo per cumulata Patriæ & Eccleſiæ emolumenta contendens, aureo ſibi conſignat charactere PLUS ULTRA, ut palam fiat Univerſis, tamdiu alieno Te ſtare loco, quam-

f 2 diu

diu non ſubſiſtis in debito Tuæ magnitudini. O feliciſſimam Te Præsule Varmiam! cùm quantumvis Tuæ Majeſtati ferendæ pares non reperiat Atlantes, eum attamen ſubmiſſis tulerit amoribus, in quem ipſa robur non habent fata. Altior etenim his præeminet, in quo Faſces tenet Sanctimonia, triumphat Religio, adjuncta politiori Scientiæ cæleſtis pariter regnat Sapientia, Tullium vincit Eloquentia. Viciſti! facundiſſimos ſuperâſti Hortenſios! cùm Eloquij ſvavitate attracti, velut apiculæ ab Ore Tuo dependeant Univerſi. Illos quippe ſenſus Sacratioribus profundis labris, qui & Divina ſcrutentur arcana, Superos delectent immortales, & mortalium corda ſaucient ſine vulnere. Delphicum non commemoro Tripodem; cùm Throni Sarmatici felicitas, Tuis ſubnixa meritis, talem Te comprobet veriùs, Divini ſermones Oracula velut è Tripode hauſta manifeſtent. Per ſuccollantium populorum humeros Antiqui Principes conſcenderint Sedes Honorum; forſitan veriti, ne quid de ſua decederet Majeſtate, ſi humili atterente ſolum paſſu, ad Auguſta progrederentur ſolia; Tu Præſuleam ſubmiſſioni profundiſſimæ innixam Majeſtatem feliciùs nunquàm autumâſti exaltandam, quàm ſi ſacras conſcenderet Exedras,

&

& pro ſublimando Divorum cultu, emolumento populi dilatando compareret Peroratrix. Taceat Herculem Gallicanum Antiquitas! Major Tua in corda poteſtas, cùm amænioribus Eloquentiæ illicijs ſic ea devincias ac devincas, ut à Tuo Numiniſq; arbitrio ſuſpenſa, nihil gratius accidere ſibi exoptent, quàm tali libertatem captivari vinculo, quale nec prava diſſolveret conſvetudo. Vibras nempe lingvam, nunc innocente Rosarum obarmatam ſpina, feriat ut abſq; cicatrice, triumphet ſine ſangvine, nunc leniore deſumpto à Floribus ſtimulo, perennaturæ vitæ diem his perſvadeat, quos Ægyptiacæ à lumine Veritatis ſpectando arcent tenebræ, atra fuligine cacozelus excæcavit Error. Nequé verò vel obſtinatæ Præſuleum irritant conatum voluntates, aut Caucaſo duriora ſub incude Tartarei malleatoris adeo incrudeſcunt corda, ut ad tuam non emolliantur facundiam: quidquid enim profers ad aures, id Superi Tuo eloqui ore cenſentur, imò Tonantis quantumlibet fulmina promas, velut gratæ Rosæ reputantur. O verè dignum Tiaris Pontificijs Caput! quod & ſe & lingvam Eccleſiæ laboribus conſecrat, ut propriæ conſcientiæ dejecto pondere, in primum pretium coram Deo reponantur homines, tumore in excelſa ab-

reptæ mentes ad Venerationem Numinis inclinentur. Et sic mirari desinimus proclâmasse gratam Civium ore Patriam, dignum Principe Infula coronari Caput istud, in quo tot de publica re foves sollicitudines, tot reparandæ salutis alienæ nutris consilia, tot fulciendæ Patriæ complecteris documenta; imò totam in Tuo Capite circumfers Lechiam, quæ seipsam hoc Nomini Tuo obstrinxit beneficio, ut semet in Te Varmiæ Cydari exornaret. Eam Tibi destinari persvadebat Virtus, annuebant Superi, suffragabantur Proceres, verùm illo utiq; Tuo animati fervore, incitati Curâ Gregis Tibi commissi, quæ licet jam tunc æviternis inaranda adamantibus, insculpenda Cedris erat, non tamen ad terminalem sese contraxit metam, quin infractâ animi constantiâ PONTIFEX ZELOSISSIME eã in Ecclesiæ obsequia magis indies ampliares. Et ut ingenua pandat Veritas, quod cordium fovent arcana, impavidum ad terriculamenta suspexit in Te Alcidem Orthodoxa Religio, ad cujus vocem exhorrescat septiceps Hæreseos Lerna, cujus Thaumaturga Virtute immane id orbis monstrum concidat Hydra, fatali casu Victorem adoret, in hoc fabuloso Herculi imparem, quòd hujus trophæa terminârint Gades, cælesti succensum igne zelum Tuum

nihil

nihil poſſit coarctare, nulla Furiarum Erebi, Hæreſeon rabies fortitudinem animi infringere, nulla tum privata, tum publica negotia ſubnervare. Vidit hoc Premislienſis Diæceſis, tota nuper Regalis Pruſſia zeloſiſſimum adoravit Præſulem Chełmenſem, cujus flagrantiſſimi Cordis reverita ardorem perfida Heterodoxorum labes in fatuos nuſquam erumpere præſumpſit ignes, multò minùs incendiarium induere Heroſtratum, aut ſtygium inſufflare Veſuvium in ſacrilegas Iconum ſacrarum depopulationes. Non damnabis ANTISTES MAXIME humilioris Svadæ obſequium; quod namq; in cæteros diviſim, in Te compendiosè totum id Gratiæ congeſſerunt. Ad magna Te conniti non ſatis fortunatè arbitraris, ſi excelſâ rapiaris Indole, ILLUSTRISSIMÆ DOMUS ſuffragio, Principum voluntate proveharis, niſi pietatis ſtudio, Amore Religionis, labore in Republica Tuam ipſe metiaris Magnitudinem. Et id demum eſt, quod alta repoſitum cuſtodiſti mente, quando tot Uni Vaticano Capiti affudiſti capita; ut devicto perfidiæ crimine triũphales palmas in cæleſte Capitolium deportare mererentur. Ne erroribꝰ ſupplantatꝰ Poloniæ Polus in ruinã declinaret, Sacros geſtando oneri ſubmiſiſti humeros, ubi non pauci inſtaurato cum Eccleſia fæ-

dere, gravibus conſcientiæ oneribus per Temetipſum excuſſi, in ſtatione fidei firma ſunt roborati.

Nôſti PRINCEPS CELSISSIME, Præſulum exemplum, Senatorum Idea, afflicti ſpes una & Salus populi, quibus boni publici utilitatibus Pontificiam dicares operam: Nôſti inquam, omnem movere lapidem, ne Principis Apoſtolorum Petri Argo ad offenſionis & ſcandali petram diceretur allidere in tot aliàs animabus Avernali Cocyto mergendis. Idcirco, pulchro orbem ſapere voluiſti documento, quando Chelmenſe Territorium circumcingi undiq; LIBRO DOCTRINÆ CHRISTIANÆ ceu ſolidiore muro contra hoſtium fidei incurſus imperâſti. Nec immunitati Eccleſiarum ſatis conſultum eſſe exiſtimâſti, niſi ad unamquamque præſidiarius excubias ageret LIBER, qui vel ſolus perfidiæ cohortem arceret à præda Anteſignanus. Stat etiamnum pervigil ad Baſilicas Cuſtos, cui non unum in chariſſimã Numini victimam cecidit caput, aut è veterno malitiæ aſſurrexit, depravato Dogmati nuncium remittendo. Tam optati ſucceſſûs curioſus indagator, privatas ibi Civium familias ac Domos adeat, ſuſpiciet quaſi circumerrantem per varios locorum anfractus Religionis Fortunam, ibi ſuum fixiſſe domicilium, Superos

peros

peros in ſui conſpectum cælo evocâſſe, & admiratione defix-os ſociari Penatibus non abhorrere. Tua hæc PRINCEPS CELSISSIME ſunt adinventa imò prodigia, quæ tantò alacriùs Oratorum lingvas, Encomiaſtarum pennas in Elogia concitabunt, quantò ſtudioſiùs ſumma Virtutum incrementa conquiſiviſti. At prætereant ſilentiô Pontificiam pro Eccleſia ſollicitudinem Oratores! articulatè eam deprædicant Oves, Paſtoris ſui Vocem eò ſequentes promptiùs, quò minùs abhorruiſti privata Civium adire domicilia, ut & Illuſtriſſimâ Vultus Tui præſentiâ obſcuros illuminares Penates; & in Sacro Pænitentiæ Tribunali abſolutos, in libertatem filiorum DEI aſſereres peccatores. Intumeſce nunc Neptune! in Balthico errorum gurgite immania Hæreſum paſce monſtra! quæ longè latèq, ſerpentinum diffundant Virus! fatali verùm citiùs tabeſcent peſte, quàm Varmiacas afflabunt oras ſub tam feliciſſimo PRINCIPIS regimine, cujus Avitæ ROSÆ amænum diffundunt odorem, & nullatenus Mephiticum patiuntur Scarabæû.

Odoratis meſſis jam floribus inſtat
Jam Ver purpureum. Columella.

Non miramur ergo Superûm Decreto factum, Te nobis PRINCIPEM non citiùs datum, quàm plures ornâſſes Infulas, compluriumantè

tè venerationem excepiſſes, qui tantis effulſiſti Virtutum ſplendoribus, quanti illuminando abundè ſufficerent Univerſo. Benevolus tandem reſpexit æther Varmiæ vota, & vel in reluctantem congeri Mitras voluit, dignum tot Coronis Pontificijs Caput judicavit, quod ob ſervatam cum Patriæ ſalute ſacrorum dignitatem plures meruit Civicas. Gaude Varmia! FLOS ROSARUM prominet, floridæ felicitatis Ver portendit; ne lætiori Epinicio luctuoſa miſceas Epicedia, Fortunam ſuæ devinxit Floræ, Florilegio captivavit. Eum ſcilicet Paſtorem nacta es, cui conſtitutum in medio Luporum proſperè concredas Agnum, triumphaturum, ſi ROSARUM circumdatus ſpinis, novo armatus vallo ſecundiſſimas ſuperaverit ætates. Quanquàm in Ara Pontificiæ ſubſiſtit Majeſtatis, hîcq; ſtationē figit, Paternam præſtolaturus indulgentiam & benedictonem. Nos interim, quæ pectora hactenus fovebant, in exilitate ſtyli, utut ad Proavitas ROSAS Tuas erubeſcamus, obſequioſò tamen CELSITUDINI TUÆ incitante Amore, Nomini & Honori dedicamus.

Non ſemper latet ſub ROSA
quod cordium tegunt arcana.
Neceſſe eſt
ut totus miretur Orbis,
ad quæ nec ROSÆ erubeſcunt;
Si tamen rubore ſuffundi fas ſit,
Ubi nec ROSARUM purpura eloqui vetat,
quod CANDIDÆ loquuntur VIRTUTES.

PRIN-

PRINCEPS CELSISSIME.
Alibi illæ vix locum inveniunt,
In TE etiam stationem fixêre:
Cùm enim parem cum ROSIS spargant odorem,
nullibi suaviùs
quàm in FLORUM & ROSARUM PATRIA
licuit hospitari.
In ternario hoc FLORUM ROSETO,
haud steriles perfectionis colligasti manipulos,
Et ne quid absolutæ deesset amussi,
Avitis ROSIS concolores PIETATEM & MODESTIAM
novo artificio, an prodigio
TIBI famulas effecisti,
ut vel sic non sit,
Virtutem Dominam qui neget esse domi: *Sarb.*
O verè
PURPURATUM PATRIÆ PATREM
qui nativo ROSARUM non contentus murice,
adhuc & niveum VIRTUTUM candorem
in PURPURÆ TUÆ traxisti Societatem,
Ut sic vivis coloribus COELESTEM adumbrares SPONSUM
Si æque CANDIDUS esses & RUBICUNDUS.
Exulta VARMIA
& tuam si potes metire felicitatem!
Quas olim in DIVO ADALBERTO ROSAS
æthnici furoris decoxit pruina:
hæ denuo TIBI in OPTIMI PRÆSULIS CHRISTOPHORI
ROSETO
ad delicias compensantur.
Habet, unde glorietur AGNUS TUUS
quando cum DIVINIORE ILLO, qui peccata mundi sustulit,
aliquid commune habet,
ut inter ROSAS delicietur,
dum COELESTIS pascitur inter LILIA.
Ne tamen putes,
FLORES hos Lacte Junonis nutritos?
Neq; enim à fabulis incrementa sumpserunt,
Quos Avita SZEMBEKIORUM plantavit VIRTUS,
fuso sangvine MARTIA rigavit INDOLES
& continuatis retro sæculis
Infracto animi ROBORE
CEDRIS DIGNI foverunt & usq; adhuc fovent HEROES.
Suspice FORTUNÆ TUÆ PORTITOREM
CHRISTOPHORUM,
Et supparem DIVO ADALBERTO,
quem PATRONUM TUUM colis,
fidei miraberis PROPUGNATOREM.
Ut enim ille ROSAS SUAS
Non tam terris consecraret quàm astris,
proprio cruore atratis depinxit illas hastis;
Ita PRINCEPS TUUS
In ROSAS SUAS tam speciosa Sanctitatis Lineamenta
induxit.
quæ amor NUMINIS, RELIGIONIS, & PATRIÆ suppeditavit,

Ut si

Ut si viveret Apelles,
Mallet ea æmulari quàm in Apolline gloriari.
Et hinc est
Quòd ROSIS his Ægyptiæ non instruantur mensæ;
grande enim piaculum foret,
Cœlis sacratos FLORES, profanis miscere sigmatis
& inter gulæ Cupedias,
Superûm violare delicias.
Extra tamen criminis labem steterit,
Si Avitos PRINCIPIS TUI FLORES
Fortunæ instraveris mensæ,
non quidem quam profana aptavit DEa,
Sed quam in Cibo FORTIUM
In Orbis Universi Salutem
DEUS præparavit ABSCONDITVS;
Ut sic
ROSARUM & VIRTUTUM odore
Captivatum Numen,
ROSEAS spondeat ætates & Sæcula.
Si ergo
Ver floridæ deposcis felicitatis
Varmia
Verni jam redeunt Soles,
Quam exambis, revehunt Fortunam;
Infallibile â ROSIS desume signum,
Quod olim DIVO datum Hippolyto,
Cûm inter sævas temporum vices delegatis è Paradiso potiretur ROSIS,
Ubi sitam, ibi perpetui Veris Patriam didicit,
& in Tuis etiam ROSIS Cœlum adeundi viam aperuit.
Hæc est nimirum SZEMBEKIANÆ Domus felicitas,
Ut si spectes omnigenâ VIRTUTUM culturâ elaboratum illius ROSETUM
PARADISUM nuncupes.
Verùm sufficit sublimia vel attigisse.

Quibus etenim Universâ Ecclesiæ sæcula superbiunt Viris Apostolicis, singulorum Tuo complexus es dotes pectore, exhausisti Virtutes. Dicerem Te Nostri sæculi Petrum Apostolorum Principem! Magnis Majorem Pontificibus, cùm invincibilem in infracta animi fortitudine tota Te Lechia suspiciat Petram, ad quam Lernæa Hæreseon allidantur portenta: Dicerem Paulum in ore gladij ad discernendum inter æqvum ac iniqvũ Astrææ de

de cælo redeuntis defenſorem; Doctorem Gentium! niſi Religio prohiberet. Quanquàm à cælo didiciſti ea exactiſſimè, quæ tacere Paſtoribus nefas eſſet, ignorare Senatores non liceret, diligentibus Deum præparata piaculum foret non manifeſtare. Et hinc Vaticana de Cathedra quantùmlibet non audias Doctor Gentium, differentibus id adhuc Superis, audis nihilominùs hodie Novus de cælo Apoſtolus Varmiæ delegatus, quia Duce virtute, comite ſapientia eam pridem huc transmiſiſti famam, ut in æquilibrio Noſtra hæreret fortuna, num merita Tua condignâ Principe Tiarâ poſſet coronare; quaudoquidem eum Te Univerſis exhibes ANTISTITEM, ut non modò ſanctitate officij, & Majeſtate Nominis, verùm etiam magnitudine meritorum Maximis anteeas & emineas. Prævidit iſta Omniſcius, & elegit imò præelegit Te Dominus, ut in Tabernaculis ſuis Gloria Tua perennaret, firmiſſima Eccleſiæ Columna & Columen, Erector & Director Sanctarum illius eſſes Fabricarum. Tacitum aget Orator? educti de profundo muri, tum Saxa loquentur, Pontificiam deprædicabunt munificentiam, & licet innata deprimantur mole, veriùs quàm olim Thebis in mænia, Tuam aſſurgent in venerationem. Vix verba protulit fa-

cundia! & ecce prodeunt obſequioſi ſuo Mecænati Templorum parietes, quibus incomprehenſibilis attenuabatur Majeſtas, & amodò inquilinum cum gaudio Numen, templicolas cum exultatione Divos ſuâ capiunt magnificentiâ. Non nutant ampliùs ad ruinæ lapſum proclinata Altarium latera; quæ cæleſtem adorantibus Medicum, vulnus non medicamentum minitabantur Sacraria, luctuoſam immutarûnt faciem, poſtquam multo ſpectabilia auro cœperunt coruſcare, non minùs ſpectantium oculis arridere, in exarato perpetui Amoris, erga velatum ſub candida Cerere Deum-Hominem teſtimonio:

In Cruce quem cernis, sub velo Panis adora.

Obſtupeſcite Cœli! imò gaudete cùm tota triumphante Eccleſia! eum militans nacta eſt Præſulem, qui ſtipendijs liberaliſſimis non tam Martium acuit ferrum, quàm animos, ut jam aliàs multo ſudore parata, nunc non difficulter ad triumphales Divorum Aras ab Univerſis decantetur,

Devictis potior Victoria Partbis. Claud.

Ne ſcilicet Avito Rosarum Ternioni quidquã deeſſet operis conſummati, non tantùm de ſufficiente Sacris Aris providiſti ſoliditate, verùm etiam tergeminas de novo erexiſti, fundâſti, adjuncta & procurata approbâſti beneficia. Non ſatis Te Patritiæ Rosæ recrearent

odo-

odore, nisi quoq; dicatæ Superis Aræ redolerent Thure, & obversæ ad has pupillæ ad respectum Majestatis Divinæ converterentur. Sed

Facilè reædificat Ecclesias
Qui morum innocentiâ ædificat Universos.
plantam adhibuisti mathematicam,
Ab illo utiquè circumscriptam Archimede,
Qui tribus digitis totum circumscripsit orbem,
Et in triduo suam reædificavit Ecclesiam.
Tuo PRÆSUL optatissime prælusit ROSARUM Ternario,
Ad quem brevî multa tempora consummantur.
Nescit nimirum tarda Amor Divinus molimina,
Nec in infimo novit stare loco,
Dædalus felicior,
Ille Tibi applicuit alas,
Ut sublimi feriens sidera vertice,
Supra humanam evectus sortem,
In Ecclesiarum etiam subsisteres apicibus,
Ibi velut in sacratiori specula positus,
vigilem pro gloria DEI & bono Ecclesiæ
consecraturus palpebram.
Barbara Pyramidum sileat miracula Memphis?
Unum pro cunctis fama loquatur opus? *Martialis.*
Chełmensem Cathedralem Basilicam,
Quam Neronis auream dicerem Domum,
ob coruscantem auri fulgorem Aurei PRÆSULIS reaccensum
munificentiâ,
Nisi Domus Orationis, Summi Augustale foret Imperatoris.
Frustra effert Mausolæum Arthemisia, jactat Caria!
Gloriam & vitam in eo tumulavit Mausolus:
Ille demùm sacras fortunatiùs erigit moles
Qui Cœlo vicinius attollit Caput,
Ut in corda activum à Phœbo derivet gloriæ splendorem,
Norma magnorum audiat Pontificum,
Ecclesiarum Idea,
Ad quam Asia Ephesinæ Deæ,
Phydias Olympici simulacrum Jovis formâsset,
Cosròè Crystallinum condidisset cœlum,
Quia sic cœlum, quod illo opere, inferno sacraverat, cœlo consecrâsset.
Nec Rhodij fuso ex ære intumescant Colosso Phœbi?
Architectante munificentia PRÆSULIS,
De imo Turres assurgunt solo,
Amicas Polo dicerem,
Quia sunt sumptus ad sidera ducti,
Ad increatæ Justitiæ solis impensi delicium.
Subsiste penna?
Imò perge, si potes!
Quò ANTISTITEM zelosissimum attollit munificentia,
Ipsa evehunt saxa,

 Quan-

Quando profundum deſeruerunt centrum,
Ne Dominus Virtutum ac Gloriæ pateretur violentiam.
Elingves ſunt lapides,
Sed ſatis diſerti ad corda Oratores,
Jam pro Domo Tua PRÆSULUM Optime perorant,
Novam Hieruſalem Viſionem pacis ut vindicent,
In Baſilicarum muris Roſtra conſcendunt.
Lapis uno clauditur omnis,
Vulgaris eſt Paræmia, at vera,
Gemmæ, lapilli, uno fatali tumulant ſplendorem marmore,
Amittunt pretium;
Niſi ad Lucem mundi non abdantur in obſcuris.
In abſcondito ne vileſcerent,
Tu Lumini de Lumine Pontificia manu eos conſecrâſti;
Cœleſtis Sapientiæ & Scientiæ DOCTOR,
Inſcrutabile Trinitatis Sanctiſſimæ Myſterium,
In Triade Altarium optimè enodâſti.
Verùm Lapides attigit facundia,
Quæ enim ex æquo attinget manum,
Illam manum? quæ præceps fluvios ſuperabat Iberos
Aurea dona ferens. *Claudianus.*

Erige ſupercilia! demiſſum Varmia attolle verticem! conſummatæ Virtutis PASTOREM habet Agnus. Non eſt, quod tuæ timeas innocentiæ, imò habes, unde majora ſumas incrementa Religionis ac proſperitatis, quando eum adoras prono poplite ANTISTITEM, qui, ſicut confracta novit conſolidare, ita & integra omnem inter ſecuritatem conſervare. Quodſi expetis Normam adaugendæ pietatis; cultûs Divini inſtaurandi, plùs, quàm Numa eſt, cujus, dum illibatam Eccleſiæ intuentur probitatem, animatis pia conſideratione lachrymis de cælo allapſum Nobis invident PONTIFICEM. Exambis demum triſulca ab alto fulmina! magis, quàm Tonantem reverere Jovem, incendiarios Orbis Phàëtontes, qui licentiori auſu notam inurunt probitati profliga-

fligaturum. Oculatiſſimum vis Argum! is eſt, qui Paſtorali vigilantiâ ad exactiſſimam perfectionem prodeſſe cunctis allaborat. Ita nimirum PRINCEPS CELSISSIME dies vitæ ad æternas diſponis rationes, ut fragrantiâ ROSARUM minùs delectareris, niſi igne Amoris Divini ſuccenſus ipſe flagres in gratiſſimum Superis incenſum. Nihil certè terreni in Te ſuſpicimus, totum meliore Apotheoſi dignum adoramus Numinis Atlantem, per quem cæli in ſuo perſiſtunt Honore. CHRISTOPHORIANI Nominis hæc prærogativa & Virtus eſt, ut quòcunq; ſuam deferat Majeſtatem, illuc & ipſum aſportet CHRISTUM. Jam nemo hallucinari temerè audeat! langvere Virtutem ſine ſtimulo, ſatis ſtimuli ad eam quiſq; habet, Te vel ſuſpexiſſe ANTISTITEM, qui cum Veſpaſiano deperditam diceres diem, ſi cætera præter beneficia, morum gravitatem, vitæ innocentiam inſtillando, maximum non præſtares beneficium. Poſſide hunc probitatis Theſaurum è voto Univerſorum! in quem ubi altum non denegaveris dominium Eccleſiæ, & mancipatæ Honori Tuo Varmiæ, quodſi olim aurea ſub Saturno Latium vixit ſæcula, illa quidni florida aget ſub Flore ROSARUM vernantiſſimo! Sed exere vires penna! & CHRISTOPHORI Univerſam in Eccle-

 ſiam

ſiam merita, ſi potes, recenſe. Fatiſcit ad horum magnitudinem, impari ſolummodò paſſu ad Plantas Tuas ANTISTES MAXIME repit.

Attolle turba pupillas!
Fortunam Varmiæ reverenter habe!
Non Scutum Jovis præſagum felicitatis cælo demittitur alto,
Ut olim Quiritibus,
Sed PRÆSUL ipſe fortunatiſſimus.
Volubilis quidni ad ejus imperium ſtabit Fortuna?
Cùm ipſa ſtabiliatur inconſtantia.
Non ſolis Romanis in Capitolino ſpes ultima Termino;
Hic meta ſpei, terminus Fortunæ,
Ne ſolito aberret more.
Non aſveta immorari jam remoram reperit,
Domeſticis favet Laribus
Stabilem fixit Sedem in Eccleſijs,
Diceremus privilegiatam,
Quia Synodalibus in firmam ſtationem roborata Conſtitutionibus:
Imò ipſum in Aris tutum Numen,
Divorum ſecurus Honor,
Quia PRÆSULEIS approbatus Sanctionibus;
Ne ancipiti quidquam deberet ſorti,
Inter perpetua Eccleſiarum acta relatus
Prodidit AUTHOREM, qualem
Nulla refert antiquis pagina libris
Nec Latiæ cecinêre Tubæ, nec Græca Vetuſtas. *Claud.*
At continet liber Vitæ.
Credite!
Accline illi cælum eſt,
ad nutum ejus ſeſe demittit,
Quia illud precibus armatis expugnavit.
O fortunatum! cui pronus militat æther,
Et conjurati veniunt ad claſſica venti;
Feliciùs hic Eccleſiæ ac Reipublicæ Onerariam
ad fortunatas deducet Inſulas
Quàm olim Cæſaris Fortunam quiſpiam Palinurus.
Arctoi Boreæ pertimeſcis Varmia impetus!
Balthico ſecura committe vela æquori!
PRÆSUL CHRISTOPHORUS CHRISTUM fert.
Qui imperabit mari & Ventis, & fiet tranquillitas magna.

Sed quæ eloqui Svada? quæ Matheſis numerare poterit infinita? certè ipſius Euclidis labor abiret in caſſum ad PRÆSULEÆ Fortunæ caſſes, quibus, Duce Virtute, concomitantibus meritis beatior Timotheus omnem captivavit

vit felicitatem, ac dotes, ut omnibus numeris abſolutus eſſet PASTOR. Habes Varmia Regibus parem genere Triſmegiſtum; habes ex utroq; Cæſarem, Virtutibus æquè conſpicuum ac dotibus Senatorijs; habes fortunatior Athenis SOLONEM, qui dies, Menſes & Annos legibus in boni publici emolumentum partiri noverit, ex quo

Parere cùm didiceris, imperare ſcies;
Probitatem morũ, quæ plùs mereatur fidei, quàm jusjurandum habere ſtudebis.
Solon in præceptis.

In Jure verſatum adora LYCURGUM, cujus imperijs & ſtatutis quàmdiu obſequêris, beatior Sparta tamdiu ſecundas benignæ ſortis vices experieris. Perſpicaciorem Archimede venerare, qui, cùm orbi regendo non impar audiat, non modò ſublunarem, ſed vel ſolarem Intelligentiarum locò faciliore Virtutum robore movere poteſt, quàm ille globum terraqueum. Et idcircò PRINCEPS CELSISSIME, quis cælum tibi obtemperare neget? quod Tuos ad nutus deviciſti pronum, quis terram Tuis reſiſtere dicat imperijs? quam Avitis adornatam FLORIBUS in immarceſcibilium Virtutũ efformâſti Patriam. Non fucatæ hæc, quia Religioſæ dictionis atteſtatio, equidem, ne cælis deeſſet quidquam ac terris, eum Te Clero exhibuiſti ANTISTITEM, quô meliorem nunquam poterat mereri. Suam ille opperiebatur

tur

tur felicitatem, quoties Te proprijs oculis ad lustrandum Ecclesias proditurum existimabat. Tunc enim vel maximè intelligere poterat, quânam præcelleret Sanctimoniâ, Regalis Sacerdotij dignitate, ad quam veriùs totus componitur orbis, quem deniq; sequeretur ritum in sacrorum Mysteriorũ administratione. Scimus renidenti cultu intra semetipsum dubio quodam fluctuâsse populum, cujusnam potiùs, num Cleri an Tuam dignosceret Sanctitatem? cùm sacris operantem cerneret PONTIFICEM. Eam nempe in gestu, in facie præferebas probitatem, ut Cleri esse putaretur, hic eam vultu spirabat vicissim, ut non pauci ad Majestatis Gloriam attoniti Tuam esse dicerent non sine applausu.

Quicunq; Regno fidit, & magna potens
Dominatur aulâ, nec levis metuit Deos,
Animumq; rebus credulum lætis dedit,
Hunc videat. Seneca Tragædus.

Non magis mirum dictu, quantùm sub Te sanctiore Chirone etiam Minores de Clero proficiebant Achilles, qui, ut fortitudinis Christianæ exemplis Fastos implerent, non jam cujuspiam Leonis pasci appetebant medullis, præterquam ejus, qui, cùm esset Leo de tribu Juda, in Agnum priùs, in Angelorũ deinde transivit Panem, ut, qui Angelicam transigere vitam anhelaret, eo sæpiùs frueretur. Divini itaq; memor NOMINIS Tui ipse non semel eos sacrâ reficiebas alimoniâ eo proven-

tu

tu ſecuto, ut cæleſtibus animati Epulis, gigantes in ſe proderent animas, dum ad perſonantia in perniciẽ vitiorum Claſſica toties cohorruerunt Tartari portenta, quoties ſub Miſſæ Sacrificium Divinioris Bellonæ Cursum decantavit innocentia. Quidni ipſum palmas Tibi referat cælum? cùm nec poſſit, neq; velit hujuſmodi ſeſe opponere excurſionibus, quæ laurуum locò Rosario DEIparæ ambiunt coronari. Militantis hæc Eccleſiæ inſignia ceu arma, tempus edax rerum ne aut conſumeret, aut ſaltem attereret, Virtutum & Clericorũ fundâſti Seminarium, qui pro Honore DEI Matris cordibus & vocibus decertarent in publica Eccleſiæ Chełmenſis Orcheſtra. Steriles inde referunt fructum animæ, Tu Gloriam adauxiſti, cùm non pauci in cultu Cælorum Terrarumq; Auguſtiſſimæ Imperatricis Dæmonio laborantes muto, jam ſvavi concentu, alta intonant voce, ut vel ultra Thulen iræ DEI vicarias fulminatrices nubes propulſent, diſſipentq;. Petat, qui vult, aliunde Oracula? quodſi ignoret in affini Christo Nomine Tuo ea latitare: Ille vix natus, illicò Delphis Phæbum tacere juſſit, triſtemq; redire ſub Orcum, Tu, quò Pontificiam defers Majeſtatem, tam diſertas ad corda pariter invehis Virtutes, ut, ſi quæpiam in exitium animorum conclamant

L vitia,

vitia, ea oporteat conticeſcere. Virtute hac deſtitui nequit, qui breviori & efficaciori itinere per Exempla, non verò longo illo tantùm per præcepta manuducit Univerſos. Aliàs

Mutæ præſidentium Voces,
Si vocales non ſunt præcipientium actiones. Neother.

Inglorium nempe exiſtimares à vulgari dependere arbitrio, & glorioſum proclamari, ſi vacuum ſine pondere meritorum NOMEN ferres, & per Faſces duntaxat Avos numerares. Quodſi parvũ reputatur, quidquid commendatur non à magno, nihil profectò humile dici poteſt, quidquid palã demonſtras orbi, quia nec Pontificia in Purpura ſatis Magnꝰ Tibi videreris, niſi magnitudinem Nominis exprimeres factorum amplitudine. Prævidit hoc, qui cuncta dinumerat tẽpora, DEus, & tunc CHRISTOPHORUM ab Eccleſia recoli voluit, quando Princeps Aſtrorum Phæbus in cæleſti Zodiaco decurrit Leonem, ne fato quopiã id NOMEN Tibi impoſitum cenſeretur, quod magnanimis Leonibus, impavidis pro Gloria Eccleſiarum Agonothetis cælitùs deſtinatur. Nec immeritò Sol in Leone altiſſimus, ſacrum Diviniſſimo NOMINI Tuo accendit diem, cùm ſole clariùs nihil in Te non ſublime, nihil non altiſſimum eminere conjiciamus. Vt cæteras taceamus, vel in ſola Præmislienſi Collegiata Baſilica adeò Tua effulſerunt merita, illuxit munificen-

tia,

23

tia, ut, quem Originis claritas facit amplissimum, pariter præduce splendore tanto prim9 ad Principes decurreres Coronas. Non leve enim ad Tiaras suffragium deferunt Superi, quando non parca in magnos Natales Virtus suffragatur. Quid habes Roma supra Varmiam? ecce LEO! ad fatales fortunæ insultus animum gerens mundo majorem, ad lacessenti Ecclesias injuriarum impetus, periculi nulliu specie deterrendus. Quid præsumis Alexan dria? ecce JOANNES ELEEMOSYNARIUS! cujus mun ficentia nullas respicit metas, instar Hermi a Pactoli pleno CORNU diffundit æraria, ub gloriæ divinæ militatura. Collapsas attolli spes Universi! in Eum demissos figite obtut qui, ne langvidi succumbatis, Proavitis fulc FLORIBUS, stipabit ROSETO. Ea namq; redunc amænitate, ut nemo meliùs suam aliunde spicari possit felicitatem, quàm si eâ stimula cognatas Regum purpuris, pergratas super commodas Aris in odore ROSAS, amica moru varietate, florida vitæ probitate æmulari non erubuerit. Sed quis eò perfectionis eluctabitur? Præstat veriùs FLORI ROSARUM acclinem submittere verticem, quàm, quod penna assequi non potest, rubicunda non capere pagina; quoquo modo adumbrare, multò minùs exprimere. Fatiscente itaq; calamo lubeat ex-

clamare: Ecce FLOS ROSARUM tot ſcilicet in Illuſtriſſimis Anteceſſoribus ROSINORUM, Pontificum & Pontificiarum Virtutum! Ecce FLOS Senatorum! qualem nec illa florum poſſidet Patria, ubi maximi quiq; ſunt Pares, cùm Virtutum odore, Meritorum vigore, Honorum purpurâ adeò præcellat Maximis, ut non immeritò perpetuum floridæ felicitatis Ver ad Hyperboreos reaccendi ſoles Varmia admire-ur. Coronâſti in Avitis ROSIS deſideria ejus ntò gratiùs, quantò obſequioſiùs amodò rabeatam Virtutum Tuarum Majeſtatem ſecundiſſimo ad Cathedram ingreſſu, peſequo comitatur paſſu. E candido verò deactiſſimæ NOMINI & HONORI Tuo Minimæ cietatis JESU voto, æternùm fortunatos e dies, florida age ſæcula, in ROSARUM Flo-egio FLOS perenna,

Te cuncta loquatur
Tellus, Te Varijs ſcribant in floribus horæ
Longaq; perpetui ducant in ſæcula faſti.

Ad M. D. Gloriam.